

pti cuiuslibet censuram antequam typis evulgetur, minime exclusis periodicis etiam religiosis, etiam periodico nostro, qui inscribitur *Acta S. Sedis*. Atque quod Romae peragit Magister S. P. Apostolici, in respectivis Dioecesibus peragunt

Episcopi. Quin imo si ad S. Congregationem Indicis liber aliquis deferatur, primum quod quaeritur est, an Episcopi auctoritate fuerit typis editus. Ex quibus sequitur, tum de iure, tum de facto scripta quaelibet submittenda esse Episcopi censurae.

## EMENDATIONES IN COMMENTARIIS INSTITUENDAE

### EMENDATIO IN APPENDICEM VI. Tom. 1. pag. 259.

Eo in Capite actum a nobis est de excommunicatione lata in *Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: itemque edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.*

Scripsimus autem, per verbum *cogentes* intelligendas esse personas quaslibet etiam privatas, quae sive directe, sive indirecte in causa criminali, ex. gr. furti, homicidii etc., vel civili, ex. gr. solvendae pecuniae, iudicem laicum compellerent, mediante accusatione, aut citatione, ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones.

« At per eiusmodi excommunicationis innovationem, ita scripsimus pag. 263, non tam respicere voluisse Principes laicos, vel Deputatos Parlamenti edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae, quam personas particulares, quae fuissent abusae latibus legibus contra viros Ecclesiae, res est manifesta etc. » Atque sententiam nostram non spernendis argumentis nos probasse existimabamus.

Verum neque vera neque solida ea visa sunt Supremae Inquisitioni, a qua die 23 Ianuarii an. 1886, sequentes litterae circulares in re promulgatae fuerunt, quas nos exscribimus ex *Actis S. Sedis Tom. 18. pag. 416.*

« Illme ac Rme Domine.  
« In Constitutione Pii IX s. m. quae incipit: *Apostolicae Sedis mode-*

» rationi IV Idus Octobr. 1869, cautum est, excommunicationem Romano Pontifici reservatam speciali modo incurtere. — *Cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones, item edentes leges vel decreta contra libertatem et iura Ecclesiae.*

« Gum de vero sensu et intelligentia huius Capitis saepe dubitatum fuerit, haec Suprema Congregatio S. Romanae et Universalis Inquisitionis, non semel declaravit, Caput *Cogentes* non sufficiente nisi Legislatores et alias Auctoritates cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones. Hanc vero declarationem Sanctissimus D. N. Leo Papa XIII probavit et confirmavit; ideoque S. haec Congregatio illam cum omnibus locorum Ordinariis pro norma comunicandam esse censuit.

« Ceterum in iis locis in quibus fori privilegio per Summos Pontifices derogatum non fuit, dum personam ecclesiasticam in iudicium trahere coram saecularibus iudicibus putant, teneri veniam petere ab Ordinario, si persona trahenda in iudicium clericus fuerit, ab Sede Apostolica, si Episcopus.

2º. Eos tamen, si huiusmodi Fori privilegio derogatum non fuit, dum personam ecclesiasticam in iudicium trahere coram saecularibus iudicibus putant, teneri veniam petere ab Ordinario, si persona trahenda in iudicium clericus fuerit, ab Sede Apostolica, si Episcopus.

3º. Ad hanc tamen veniam petendam actorem non teneri, si privilegio fori per Summos Pontifices fuit derogatum.

» peram dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedi Apostolicae non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad iudicem seu iudices laicos vel Clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit in eum, praesertim si fuerit Clericus, animadverte poenis et censuris ferendae sententiae, uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Dominino iudicaverint.

« Interim fausta multa ac felicia tibi precor a Domino.

« Datum Romae die 23 Ianuarii an. 1886.

« Addictissimus in Domino  
R. Card. Monaco. »

Atqui ex relato decreto manifestum fit, actores contra personas ecclesiasticas quamvis episcopali dignitate fulgentes, nullimode incurtere excommunicationem in citato Capite latam, etiamsi in loco privilegio Fori per Summos Pontifices derogatum non fuerit.

4°. In locis in quibus fori privilegio derogatum non fuit, Episcopos posse poenis et censuris ferendae sententiae in actores animadvertere ut in violatores privilegii fori, si veniam praedictam ab Ecclesiastica auctoritate petere posthabuerint: praesertim si actores Clerici fuerint.

5°. Ordinarios locorum veniam illam trahendi coram laicis iudicibus personas ecclesiasticas numquam actoribus denegare posse.

6°. Latam in cit. Capite excommunicationem incurrere unos *Legislatores*, et alias *Auctoritates* cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, praeter canonicas dispositiones.

Inquirendum hinc est, quandam hi hanc excommunicationem incurrant. Si enim dicamus, legislatores eam incurrere quando leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt, manifestum est, primam Capitis partem cum secunda confundi; etenim privilegium fori, quod per leges civiles abrogatur, ius est Ecclesiae; et per eiusmodi leges, ipsius Ecclesiae libertas offenditur. Ex quo sequeretur, quantum ad legislatores saltem attinet, primam Capitis partem per citatum Supremae Inquisitionis decretum in irritum missam fuisse.

Id melius patebit, si consideremus, cogere iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal perso-

nas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones, esse factum singulare, et ideo excommunicationem incurrities quoties quis hanc coactionem infert.

Consequenter necessarium est, ad hanc excommunicationem incurrandam, ut legislatores post latae leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae, (quae actio speciali excommunicatione percellitur), cogant iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, cum et haec actio speciali excommunicatione percellatur; sunt enim duae actiones distinctae. At si dicamus, eiusmodi coactionem contineri in eo quod Legislatores edant leges et decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae, in quibus continetur privilegium fori, quod personis ecclesiasticis competit, necessario sequitur, legislatores unam incurrere excommunicationem quae fertur in secunda parte Capitis; quod si negetur, sequetur, legislatores percelli ob eundem actum nedum duplice excommunicatione, sed pluribus, quot scilicet respondent illatis coactionibus, quinque, decem, viginti, centum etc. Quod est impossibile, quia edentibus leges et decreta contra libertatem et iura Ecclesiae una fuit illata excommunicatio.

Non possunt ergo legumlatores uti excommunicati traduci pro coactione iudicibus laicis illata, ea de causa, quod ediderint leges et decreta contra libertatem et iura Ec-

clesiae, illa enim actio et distincta est, et propria excommunicatione communitur.

Insuper si hanc sententiam admittamus, ipsi excommunicatione percellentur etiam dum ignorant aliquem iudicem laicum traxisse ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones; traxit enim vi latae legis; quod de cetero legislatores praevidere debabant. Hoc autem est impossibile, tum ob verba capit, quae important coactionem in singularis factis, ideoque scientiam relativam, tum quia nulla excommunicatione incurritur cum ignorantia in casu propemodum invincibili; nemo enim dicturus erit, legumlatores vel nosse vel teneri inquirere an et quaenam causae ecclesiasticae agitantur coram iudicibus laicis: ad quid insuper? ut eas ne impediant? Et impediendo in irritum mittant editas a se leges vel decreta? Quod de cetero particularibus legislatoribus, seu singulis Deputatis utriusque Senatus seu Parlamenti, in Gubernio Constitutional redditur impossibile, cum ipsi *collective*, non *distributive* potestatem habeant leges condendi, ideoque et eis derogandi. Ex quo illud inferimus, legumlatores, seu Deputatos in Gubernio constitutionali nullam habere auctoritatem extra parlamentum, si illa excipiantur, quae intrinseca sit muneri, vel officio ipsi demandato, ex. gr. si quis fuerit ministerio negotiis ge-

rendis praepositus sive interne, sive externe, ministerio cultum etc. Quo etiam in casu, non quatenus legislator cogeret, sed quatenus Magistratum aliquem retinens; de qua re postea.

Ergo neque hoc in casu excommunicationem pro illata incurreret coactione. Etenim in decreto lato a Suprema Inquisitione per cogenites intelliguntur *legislatores et aliae auctoritates*. At extra regni Senatum, vulgo parlamentum, nullus deputatus est legislator aut auctoritatem habens, exceptis casibus supra expositis; ergo si cogat iudicem laicum ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, excommunicationem incurrire non potest.

Accedit, quod postquam lex aliqua condita et promulgata est, ipsi deputati sunt legi latae subjecti, atque iudices constituti ad trammates latae legis iudicia dicere tenentur, velint nolint singuli deputati, qui ferenda iudicia impedire non possent, quamvis vellent.

Porro in gubernio italico, aliisque, privilegium fori inique abrogatum est. Qua de causa clerici ex constitutis legibus sive in causa civili, sive criminali coram laico iudice pertrahuntur. At iudices laici quod sententiam dicant in personas ecclesiasticas nullam excommunicationem incurront. Qua ergo de causa illam incurrent deputati, si aliquem iudicem cogant ad trahendos Clericos ad tribunal laicale,

cum in casu legislatores minime sint, sed latae legi et ipsi subiecti?

Et haec quidem quantum attinet ad gubernia constitutionalia.

In regimine absoluto autem, res est difficilior. Etenim hoc in regimine unus legislator est princeps. Hic igitur legem promulgat, qua abrogat privilegium fori quo Cle- ricis competit.

Qui magistratum retinent, nil aliud agunt nisi latam a principe legem iuxta consuetas regulas promulgare, quin ei aliquam vim conferant. Iudices autem ad tramites latae legis rem agere debent, tum ne officio priventur, tum aliis de causis.

Quaerimus hinc: an et quando princeps incurrit excommunicationem? Si dicamus, eam incurrire dum legem condit atque promulgat, profecto non quia cogit iudices, incurrit; sed quia edit leges contra libertatem et iura Ecclesiae. Si quando indices laici, vi latae a Principe legis coacti, trahunt ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones, princeps toties erit excommunicatus, quoties eiusmodi iudicia intercedunt; et quoniam princeps de huiusmodi iudiciis saepe saepius nil novit, debemus dicere, eum excommunicationem incurtere etiam dum iudicia huiusmodi nescit; quod est impossibile tum per se, quia promulgationi illi adnexa est specialis excommunication, tum ob verba *cogentes iudices laicos ad tra-*

*hendum ad suum tribunal etc.*; quae requirunt actionem positivam et specialem ex parte cogentis, et scientiam opportunam etiam canonicarum dispositionum.

Addimus, nullum supremum principem excommunicatum haberi debere, nisi disertis verbis nominetur; addimus, ex cit. capite non apparere, sub verbo *cogentes venire* supremos principes.

Hinc nos nescire, fatemur ingenue ignorantiam nostram, quando et quomodo supremi principes ratione *coactionis* illatae laicis iudicibus hanc excommunicationem incurrant.

Perpendamus hinc an illam incurrant supremi magistratus, seu auctoritatem habentes in gubernio absoluto.

Hi profecto legumlatorum nomine venire non possunt, cum in regimine absoluto unus princeps leges condere possit; ergo hoc nomine nullam contrahunt excommunicationem.

At pro munere eis a Principe concordito invigilare debent, ut latae leges executioni demandentur. Quandonam hi excommunicationem incurront ratione coactionis?

Num ne quando materialiter legem promulgant? Sed praeterquamquod ad latam legem executioni demandandam ex officio tenentur, promulgatione illa materiali nec legem condunt, nec legislatores fiunt, atque hinc non ipsi sunt qui cogunt, sed princeps. Adendum quod nisi officio suo fun-

gantur magna sint incommoda subituri, ex. gr. privationem officii et quidem frustra, cum quod ipsi recusant, alii facturi erunt. Ergo ratione promulgationis materialis, qua insinuent observantiam legis a Principe latae, supremi magistratus in regimine absoluto excommunicationem non incurront; quia non sunt ipsi qui cogunt iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas.

Atque praetermittimus, in regimine absoluto unius principis nomine leges promulgari, ab eiusque auctoritate vim suam omnem mutuari.

Sed quid de magistratibus in regimine constitutionali?

Eadem profecto et his sunt applicanda. Etenim et hi sunt legis executores, cum ferendi leges potestatem non habeant; et dato, minime tamen concesso, quod eiusmodi potestate gaudeant, excommunicati censendi erunt eo quod edant leges vel decreta contra iura Ecclesiae, non quod per lata decreta et leges cogant iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas; sin minus ea iterum in medium venient quae supra adnotavimus de dupli, imo multiplici excommunicatione contrahenda ab legislatoribus ob legem, quam executioni laici iudices circa personas ecclesiasticas demandant.

Quid ergo? inutile ne erit Supremae Inquisitionis decretum?

Profecto inutile non est; etenim

aliae auctoritates utique possunt in eiusmodi excommunicationem incurrende.

Si quis enim Magistratum retinens, aut Urbis Praefectus, aut Municipes iudicem aliquem nolentem cogant ad trahendum ad suum tribunal directe vel indirecte personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones, aut praeter legem, vel in dubio de facti existentia, aut contra legem ad id iudicem laicum faciendum compellant, excommunicationem hanc profecto incurront, sicut eam incurront si decretum aliquod edant contra libertatem et iura Ecclesiae; sunt enim auctoritates quae legem pontificiam spernunt.

Mitiori itaque interpretatione usi sunt Supremi Inquisitores in Piano Capite exponendo: privatas personas enim et actores qualibet excommunicatione eximentes, unos legislatores aliosque auctoritatem habentes excommunicationi subiecere; qui quandonam excommunicationem hanc incurront, ex facto potius, quam ex Decreti verbis dignosci poterit, ut nobis saltem videtur.

Porro in eiusmodi decreto sanciendo Eminentissimi Patres Supremae Inquisitionis concordes reperiuntur cum declaratione ab eadem Congregatione lata die 1. Februario 1871, quam nos retulimus Tom. 1. pag. 261 Commentariorum nostrorum.

In ea autem haec declarabant:

« Sed in ea formula attendere debes verbum *cogentes*, quod sane indicat, excommunicationem eos non attingere, qui subordinati sint, etiamsi iudices fuerint; sed in eos tantum esse latam, qui a nemine coacti, vel talia agunt, vel alios ad agendum cogunt, quos etiam indulgentiam nullam merebiri facile perspicias. »

Supremi Inquisitores igitur excommunicatione eximunt subordinatos omnes, etiamsi iudices fuerint, quo et confirmant Pii IX Caput, qui pariter iudices laicos excommunicatione eximit, contra id quod decretum in Bulla Coenae fuerat, qua iudices excommunicationi subdeabantur; *Quive ex eorum praetenso officio etc. §. XV. (Comment. Tom. 1. pag. 260).* Atque eos tantum excommunicationi subdunt, qui a nemine coacti vel talia agunt, vel alios ad agendum cogunt: Qui cum subordinati esse non possint, quia hi ab excommunicatione incurrienda exclusi fuere, sequitur, eos esse vel legistatores, vel auctoritatem habentes, iis tamen in circumstantiis, quas supra recensuimus.

#### EMENDATIO IN APPENDICEM VII.

Hac in Appendice agitur de excommunicatione lata in *recurrentes ad laicam potestatem ad impedientias litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis, aut Delegatis quibuscumque*

*projecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecete prohibentes, aut eorum causative ipsas partes, sive alios laeden- tes, vel perterrefacientes:*

Atque quoad significationem verbi *laedentes* Tom. 1. pag. 291 scripsimus. « Laedi autem dicuntur personae quibus damnum inferuntur. Quoniam vero damnum sive personae alicui inferri potest, sive eius bonis, hinc excommunicantur utriusque generis damna inferrentes. »

Re melius considerata, putamus non esse recendum a stricta verbi significatione, quae importat damnum in personam, non in bona; prout exposuimus Tom. 2. pag. 104. Eo vel magis quod verbo *laedentes* coniungatur participium *perterrefacientes*, quod in unas personas habet locum. In lege poenali autem verba stricto sensu interpretari, et quod minimum sequi debemus. Hinc qui laedunt bona eorum de quibus in capite, nullam contrahere excommunicationem videntur.

Hanc ipsam sententiam sequitur cl. D'Annibale Com. pag. 46. n. 71. Edit. 3. Atque etiam alii sequuntur.

#### ADDENDA AD APPENDICEM IX.

Ea in Appendice agitur de excommunicatione lata in *absolventes complices.*

Et Tom. 1. pag. 345 et seqq. affirmavimus, turpiloquium sub lege comprehendi, nostramque senten-

tiam ab adversariorum obiectis vindicavimus.

Hanc eamdem sententiam confirmamus 1°. verbis Benedicti XIV qui in Const. *Sacramentum poenitentiae* haec decernit §. 1. « Qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad audiendas confessiones destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonestam, et turpia solicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint. »

Quae verba adeo clara sunt, ut mirari quisque debeat aliquos esse qui contrarium scribere et dicere non vereantur.

2°. Eamdem sententiam confirmamus declaratione lata a Suprema Inquisitione, quam ita legimus apud Scriptores de la Nouvelle Revue Théologique Tom. X. pag. 418.

Feria IV, die 28 Maii 1873.  
« In Congregatione generali S. Rom. et Univ. Inquisitionis habita coram Emis ac Rmis DD. S. Rom. Ecclesiae Cardinalibus contra haereticam pravitatem Inquisitoribus

» Generalibus, proposito ex parte E. P. D. Episcopi Aurelianensis dubio, prout sequitur: An prohibitio absolvendi complicem in materia turpi restringi debeat ad tactus; an vero comprehendat omnia peccata gravia contra castitatem exterius commissa, etiam illa quae in meris aspectibus consisterent?

« Idem Emi Domini, omnibus matre perpensis, respondi mandarunt: Comprehendi nedum tactus, verum omnia peccata gravia et exterius commissa contra castitatem, etiam illa quae consistunt in meris colloquiis et adspectibus qui complicatatem important. »

Exinde nemo ultra qua pars est urgere debet huius declarationis verba; sed ad hoc attendendum est diligentissime, *colloquia et adspectus* importare debere complicatatem; qua de causa colloquia turpia esse debent, de quibus tantum nos locuti sumus; aspectus autem tales, ut benignam interpretationem nullo pacto mereantur.

Antequam enim Sacerdos huiusmodi criminis reus traducatur, eius sollicitatio luce meridiana clarior esse debet, ut scilicet nullum dubium admittat.

Pariter hac ipsa Appendice pag. 328 affirmavimus, a Sacerdote complice absolvi posse poenitentem complicem, dummodo clavibus non subiiciat peccatum complicatis.

Haec sententia confirmata fuit a S. Poenitentiaria in decreto lato die

16 Maii 1877, quod ita legitur. Quae-  
situm fuerat. « An incurrat censu-  
ras in absolventes complicem in  
peccato turpi latus, qui compli-  
cem quidem absolvit, sed com-  
plicem qui complicitatis peccatum  
in confessione non declaravit? »  
Ratio dubitandi esse videtur, quia  
talis Sacerdos, etiamsi complex  
sacrilege huius peccati confessio-  
nem omittet, et ipse culpabili-  
ter ab interrogando abstineret,  
non tamen absolvit ab huiusmodi  
complicitatis culpa, utpote non  
declarata, nec subiecta clavibus. »

S. Poenitentiaria respondit:

« Privationem iurisdictionis ab-  
solvendi complicem in peccato  
turpi, et adnexam excommunica-  
tionem, quatenus confessarius il-  
lum absolverit, esse in ordine ad  
ipsum peccatum turpe in quo  
idem confessarius complex fuit.  
Tenetur nihilominus Confessarius  
Sacerdoti qui hac ratione com-  
plicem, non tamen a peccato com-  
plicitatis, absolvit, omni studio  
ob oculos ponere enormitatem  
delicti sui, et abominabilem abu-  
sum Sacramenti poenitentiae, nec  
aliter ei beneficium absolutionis  
impertiri, quam praemissa gravis-  
sima adhortatione ut officium con-  
fessarii dimittere studeat, nec non  
imposta obligatione ut a confes-  
sionibus complicis audiendis in  
posterum omnino abstineat, mo-  
nita eadem persona complice, si  
denuo compareat, ut de peccato  
complicitatis, et caeteris invalide

» confessis, apud alium confessa-  
rium se accuset. »

In hac ipsa Appendice pag. 309  
affirmavimus, nullam incurrire ex-  
communicationem Confessarium qui  
complicem in peccato turpi fingat  
absolvere, sed non absolvat. Atque  
scripsimus. « Ut eiusmodi excom-  
municatio incurritur necessarium  
est nedum ut Confessarius con-  
fessionem complicis audiat, sed  
absolutionem reapse impertiatur;  
quare si confessione audita, vel  
complicem sine absolutione di-  
mittat, vel simulet illum absolu-  
vere, et non absolvat, excommu-  
nicationem non incurrit. Lex enim  
aperta est: *Absolventes complicem  
in peccato turpi.* Si qua enim  
dubitatio ante nostram Constitu-  
tionem exoriri de re poterat, nunc  
nullimode dubitandum est, ad  
incurrendam excommunicationem  
hanc, omnino necessarium esse,  
ut Confessarius complicem non  
ficte, non simulate, sed reapse  
absolvat. »

Et quidem nobiscum pene uni-  
versi sentiebant; cum inspectis tum  
verbis Pianae Constitutionis, tum  
Benedicti XIV Constitutionibus in  
re latis, tum Sententia Doctorum,  
praesertim S. Alphonsi, dubitari  
nullo modo poterat quin ad hanc  
excommunicationem incurrendam  
necessaria foret complicis absolutio.

At die 16 Octobris 1877 Episco-  
pus de Rodez S. Poenitentiariae  
sequens dubium dirimendum pro-  
posuit: « Utrum Confessarius qui

» suum vel suam complicem in  
peccato turpi, ad mentem Bullae  
» Apostolicae Sedis n. 40, simula-  
» verat absolvisse, recitando v. gr.  
» orationem quamdam, vel alia ver-  
» ba pronuntiando, aut etiam ta-  
» cendo, ita ut videretur tamen per  
» signa vel manuum gestus revera-  
» poenitentem a peccatis relaxare,  
» incurrit excommunicationem spe-  
» cialiter Summo Pontifici reserva-  
» tam, de qua agitur in praefata  
» Bulla? »

Sacra Poenitentiaria, mature per-  
pensis expositis dubiis, super iisdem  
pariter respondet: « *Confessarios  
simulantes absolutionem compli-  
cis in peccato turpi non effugere  
excommunicationem reservatam  
in Bulla Benedicti XIV: Sacra-  
mentum Poenitentiae.* »

Datum Romae in S. Poenitentiaria  
die 1. Martii 1878 (1).

Verum huic decreto vel declara-  
tioni id responderi poterat, quod  
respondit S. Alphonsus Lib. VI.  
n. 556, quo loco quaerit: « An  
incurrat hanc excommunicatio-  
nem Sacerdos, qui complicem non  
absolvit, sed tantum in confessio-  
ne audit? »

Respondet: « Super hoc dubio  
consului Sacram Poenitentiariam,  
qua die 9 Iulii 1751 respondit  
absolute. *Non vitari excommu-  
nicationem a praedicto Confessa-  
rio per fictionem absolutionis.* Et

» huic sententiae ego iamdudum  
adhaesi; sed postea, cum percur-  
rissem Constitutionem eiusdem  
Pontificis Benedicti XIV *Inter  
praeteritos*, pluries citatam in §.  
» 29 oppositum satis declaratum  
reperi, ut patet ex sequentibns  
verbis: *Non minus Sacerdoti com-  
plici, qui vel extra mortis arti-  
culum Confessionem excipit poe-  
nitentis eumque absolvit, vel qui  
in articulo mortis absolvit, cum  
alius Sacerdos non desit.... ex-  
communicationis maioris poena  
a nobis in citatis Constitutioni-  
bus imposita fuit.* »

Eadem prorsus respondissemus,  
cum dubium propositum identicum  
sit, identica responsio, identica au-  
toritas. Non enim Constitutio Pon-  
tifica in re aperta et evidens de-  
leri potest per declarationem S. Poe-  
nitentiariae, vel Congregationis Ro-  
manae cuiuslibet, sed requiritur au-  
toritas Pontificalia sive scripto, sive  
verbis expressa.

Atque hinc laude dignos cense-  
bamus cl. Scriptores de la Nouvelle  
Revue Théologique, qui Tom. XIV,  
pag. 142 scripserunt: « Nullo pacto  
intendimus insurgere contra auc-  
toritatem S. Poenitentiariae; atta-  
men minime auderemus illos con-  
demnare qui S. Alphonsi auctori-  
tati innixi, latam a Benedicto XIV  
legem ad litteram executioni de-  
mandarent, usquedum per ipsam

(1) Nemo existimet hoc decretum anterius esse nostro Commentario in eiusmodi caput, quod frons libri deferat annum 1883, Frontem enim post confectum volumen apposuimus.